

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Jacob Wilhelm Blaufus Johann Georg Quistorp

**Dissertatio Philosophica De Dispensatione Legis Naturalis Inter Impossibilia Deo  
Referenda Ac Simul De Praecepto Dei Israelitis Data Exod. XI. 2. coll. 35. 36.**

Iena: Litteris Tennemannianis, 1754

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn841253870>

Druck Freier  Zugang





La 1088<sup>1</sup>-23.

Wig. Mus. lit. g.

V. 257.



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn841253870/phys\\_0003](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn841253870/phys_0003)

DFG



10

DISSERTATIO PHILOSOPHICA

DE  
**DISPENSATIONE LEGIS  
NATVRALIS INTER IMPOSSIBILIA  
DEO REFERENDA AC SIMVL  
DE PRAECEPTO DEI ISRAE-  
LITIS DATO**

EXOD. XI. 2. coll. 35. 36.

QVAM  
DEO AVSPICE  
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
DOMINO  
**ERN. AVG. CONSTANTINO**  
DVCE SAXONIAE  
IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE WESTPHALIAE RELIQUA  
CONSENTIENTE ORDINE PHILOSOPHORVM

P R A E S I D E  
**IACOBO WILHELMO BLAVFVS**  
PHIL. MAG. ORD. PHIL. IN ACAD. IEN. ADI.  
ET SOC. TEVTON. IENAE FLOR. COLLEGA  
M. APRIL. A. R. S. CIO IOCC LIIII.

ERVDITORVM EXAMINI PVBLICO SVBIICIET

A V C T O R  
**IOANNES GEORGIVS QVISTORP**  
ROSTOCHIENSIS  
SS. THEOL. CVLTOR SOC. TEVTON. IENAE FLOR. COLLEGA.

I E N A E, LITTERIS TENNEMANNIANIS.

DISSEMINATIO THEOLOGICA

36

DISSEMINATIO LEGIS  
NATURALIS INTER MATERIA  
DEO REFERENDA AC SIMIL  
DE PRAECEPITO DEI HERETIC  
LITIGIA DACTO

ROSDOK ZI 25 Coll 36

QVAM

DEO REFERENDA

RECOLONE AGUDIMENTA TONITRUM  
SERVATORIS HABENT A PROPHETIS

DO MELNO

ERIN VAG. CONSULTATIO

ACCEPTO IN QVAM  
CONVENTUS CONFERENTIA REFLIGA

CONVENTUS CONFERENTIA REFLIGA

PAKASIO

LAODO MITHIMOS TAVELAS

PINIS MAG OPI TINE IN LAODIACO

AT SOC. LAVONIUS IN QVAM

M. APRIL 7. 1513 CLODCCINTI

ERUDITORVM EXAMINI PAVLICO SAVILLIET

AVETOR

JOANNES GEORGIAS GASTOR

ROSTOKIANVS

25. THORI. CATERIAZ 200. TAVELAS. IN QVAM. TEC. COLLEGA.

IVANUS FIDELIS TERNINIANVS

GENITO RI 870  
AD TUTUM ARGE DEVENIRE MDO  
PRIMIUS ARGO DEMICUS  
V I R O  
EXCELENTISSIMO  
EXPERIENTISSIMO ATQUE DOCTISSIMO  
D O M I N O  
IOANNI BERNHARDO  
QVISTORPIO  
MEDICINAE DOCTORI  
EIVSDEMQUE IN ACADEMIA VARNIACA P. O.  
NEC NON CIVITATIS ROSTOCHIENSIS  
POLIATRO MERITISSIMO

GENITORI SVO

AD VRNAM VSQVE DEVENERANDO

PRIMITIAS HASCE ACADEMICAS

C E V

PIGNVS FILIALIS OBSERVANTIAE

CVM VOTO

PROSPERRIMAE SALVTIS

OMNIS QVE FELICITATIS

AVATORPIO

MEDICINAR DOCOTORI

CLASSEMque IN ACADEMIA AVARINICA L.O.

NEC NON CIVITATIS ROSTOCHENSIS

POLITARIO MERITISSIMO

DAT DICAT CONSECRAT

A V C T O R.



## Q. D. B. V.



otentiam quum per possibilitatem extra se  
operandi definimus, tam usui loquendi  
vulgari, quam technico respondebit  
definitio. Quos illa, si ad creaturas re-  
stringitur, agnoscit limites, illos de Deo praedicata  
respuit. Quibus enim sub determinationibus nobis co-  
gitamus Deum? nonne sub iis, quae complexum  
omnium perfectionum in summo, aut si maiis, sine  
gradu ipsi adsignant? Potentiam igitur summo Numini  
quando tribuimus, innuitur perfectio, iuxta quam  
cum omnitudine Deus extra se operari cogitatur.

*SCHOL.* Vox potentia Dei, quando passim a Theolo-  
gis sumitur latius, tunc inuoluit quamlibet possibili-  
tem operandi in Deo, atque tam potentiam ad intra,



quam eam, quae ad extra dicitur, comprehendit. Potentia ad intra iterum duplex est. Spectatur enim vel ἀστικῶς, quo respectu innuit intellectum et voluntatem Dei in actu primo consideranda; vel ὑποτακτικῶς, quae aetibus Dei dictis personalibus est occupata: qualis est potentia generandi, nascendi, spirandi, procedendi per spirationem. Potentia ad intra est necessaria. Potentia ad extra, de qua hic nobis tantum loquimur, libera est.

### §. II.

Cuilibet enti illud est optimum, quod cum essentia sua conuenit exactissime. Quidquid igitur cum essentia Dei, quae a summis ipsis perfectionibus realiter non est distincta, maximam habet conuentientiam, κατ' εξοχήν meretur nomen optimi. Voluntas Dei nihil appetit, nisi quod optimum sibi reprezentauit intellectus diuinus. Nec circa nunquam fertur in obiecta, quae ipsis aduersantur perfectionibus; haec enim non possunt non esse mala Deo.

### §. III.

Quaecumque in se spectata non inuoluunt contradictionem, dicuntur absolute possibilia latiori significatu, quatenus nempe possibile tantum opponitur impossibili. Iuxta hanc absolute possibilis notionem cum ens necessarium, tum entia contingentia pertinent ad entia possibilia. Absolute possibilia strictiori significatu dicuntur quaecunque in se spectata in suo fieri contingente non implicant contradictionem, quae opponuntur non tantum absolute impossibili primo significatu,

7

catu, sed et necessario. Deus itaque pertinens ad absolute possibilia latius dicta non pertinet ad absolute possibilia significatu strictiori, utpote quae non tantum requirunt, ut non inuoluant contradictionem, sed ut possint esse et non esse. Potentia Dei, quae est voluntatis diuinæ perfectio exequitiva, circa ea versatur, quae extra Deum sunt, seu sunt a Deo alia §. I. Ergo singula possibilia significatu strictiori; non vero singula possibilia significatu latiori sunt obiectum omnipotentiae diuinæ.

*SCHOL. I.* Hinc facilis euadit responsio ad illam obiectiōnēm, quae, obseruante b. POSEWITZIO a) formari potest: si Deus est omnipotens, potest producere omnia, quae in possibilium numero continentur. Sed Deus ipse in numero possibilium continentur. Ergo necesse est, ut Deus per omnipotentiam se ipsum possit producere. Quod quum sit absconum, sequitur, ut Deus non possit esse ommnipotens. Negamus enim in propositione priori, quae conditionalis est, consequiam, nisi propositio ita formetur: Si Deus est omnipotens, potest omnia, quae extra eum in numero possibilium continentur; siue potest omnia possibilia non significatu latiori, sed strictiori. Formata autem ita propositione, reliqua in argumentatione dicta substerni nequeunt. Hoc est quod brevibus b. HEBENSTREIT b) indicauit, dicendo: Deus, aut diuina persona, et si in latiori significatu sit aliquid possibile, sub omnipotentiam diuinam non cadit.

*SCHOL. II.* Idem, quod in §. adseruimus, tradit reuelatio Luc. I, 35. non est impossibile apud Deum omne

a) in *Theol. Scholastica* pag. 95.

b) in *Syst. Theol. P. I.* p. 498.



omne verbum, id est, interprete b. CALOVIO a) res omnis, seu quidquid habet rationem entis (a Deo diuersi) adeoque omne, quod non inuoluit contradictionem (praeter Deum). Hinc regula: omne verbum est Deo possibile, siue, quidquid non inuoluit contradictionem veram et a Deo est diuersum, fieri potest a Deo. Vid. quoque b. SLEVOGTII, Philosophi Ienensis pariter ac Philologi in saeculo elapso summi, cuius scripta sera venerari debet posteritas, *Dissertatio de esse possibili*, quae est in *Dissertationibus academicis* numero VIII. et b. VELTHEMII *Institutiones Metaphysicas* p. 647.

§. III.

Absolute impossibile est, quod in se implicant contradictionem. Absolute impossibile est nihilum negatiuum, (per principia ontolog.). Bonum esse est affectio positiva. Ergo et bonum esse Deo. Absolute impossibile itaque non potest esse bonum Deo. Ergo nullo modo potest esse obiectum voluntatis diuinae, quae adpetit optimum, (§. II), nec adeo potentiae Dei, quum haec subordinetur voluntati diuinae ad operandum extra se.

*SCHOL.* Consona his sunt, quae b. HEINRICVS HÖFFNERVS b) tradit: obiectum potentiae diuinae est a potentia, non ab impotentia denominatum. A potentia vero res denominatur possibilis, quemadmodum ab impotentia res dicitur impossibilis. Quare quum Deus non sit impotens, non quoque versatur circa impossibilia simpliciter, hoc est, talia, quae repugnantiam inuoluunt.

§. V.

a) in *Syst. Theol.* T. II. p. 488. b) in *Diff. de omnipotentia Dei Th.* VIII.



9

### §. V.

Absolute impossibilia in relatione ad Deum erunt, quae tanquam praedicata de Deo ut subiecto enunciata implicant contradictionem: ac apte poterunt distribui in impossibilia primi, secundi, et tertii ordinis. Primi ordinis sunt, quae implicant contradictionem cum Dei natura, quoniam ei e diametro aduersa sunt. Secundi ordinis adpellabimus, quae implicant contradictionem cum natura entium a Deo aliorum. Tertii ordinis, quae cum repugnant naturae entis infiniti, tum etiam naturis entium finitorum. Si exemplis rem cupis illustratam, Deo erit impossibile primi ordinis locum condere, quo includatur, peccare, caet. Secundi ordinis impossibile Deo erit, corpus reddere immateriale, hominem creare, qui non sit animal rationale. Tertii ordinis esset rei creatae vires largiri ad vincendum Deum. Eiusmodi ordinum impossibilia non poterunt vñquam esse obiectum omnipotentiae diuinae; vnde et praesertim a Theologis adpellari solent *adversata* θεος.

### §. VI.

Quaecunque igitur sanctitati, iustitiaeque contrariantur, ad *adversata* θεος omnia sunt referenda: sanctitas enim et iustitia pertinent ad Dei naturam, vt perfectiones essentiales, per principia Theologiae naturalis: quae vero cum natura Dei contradictionem intoluunt, sunt *adversata* θεος (§. praeced.). Proinde et ea, quae contradicunt fundato in sanctitate et iustitia summi Numinis erunt *adversatiois* θεος adiicienda.

B

### §. VII.



## §. VII.

Pari passu ambulant omnia, quae non tantum cum essentia rerum creatarum, earumque natura contradictionem inuoluunt (§. V.); sed etiam cum iis, quae fundata sunt in essentia et natura rerum creatarum, siue quod idem est, per eandem determinantur, per princip. ontolog.

## §. VIII.

Per essentiam ac naturam hominis, rerumque, quae creatae sunt, caeterarum determinatur obligatio naturalis. Quum enim obligatio sit connexio motiui cum actione libera; ipsa vero essentia ac natura hominis et rerum motiua cum actionibus intrinsecus bonis atque malis copulet (per principia Philos. vniuersal. practicae;) obligatio hinc nascitur, quae in ipsa hominis rerumque essentia atque natura habet rationem sufficientem. Posita itaque essentia et natura hominis rerumque, ponitur etiam obligatio naturalis, quia posita caussa, caussatum et ponatur, neceſſe est (per ontolog.). Essentiae rerum sunt absolute necessariae per principia Philosophiae primae. Ergo etiam obligatio naturalis erit necessaria. Necesſarium est immutabile: Ergo eadem obligatio erit immutabilis.

## §. IX.

Praemissis hisce de obligatione naturali delabimur ad legem naturae. Legem moralem esse regulam, iuxta quam obligationes liberas conformare obligamur, constat. Lex moralis naturae est lex, quae obligat obli-

obligatione naturali. Quum itaque haec sit necessaria ac immutabilis per §. VIII. etiam lex naturae ut sit necessaria atque immutabilis, necesse est.

§. X.

Legis naturalis obligatio quando pendere ab essentia hominum et rerum, vi eorum, quae §. VII. et VIII. a nobis adlata sunt, dicitur, eapropter minime excludit dignitatem dependentiae a Deo, ut auctore, potius adserimus, legem naturae non posse non descendere a Deo, quam thesin hac ratione damus euictam: si verum est, posita natura et essentia hominis rerumque, poni obligationem naturalem; essentiarum vero omnium principium atque fons est intellectus Dei, sequitur, ut lex naturae cum sua obligatione pendeat a Deo, ut auctore. Atqui verum esse antecedens quoad membrum prius patet ex principiis ontologicis, et quoad posterius ex Theologia naturali. Ergo et consequens erit verum. Consequentia sua luce radiat. Porro lex naturae, cuius auctor per demonstrata Deus est, est lex qualificata sive habet obligationem mixtam, naturalem vnam, alteramque positivam. Obligatio naturalis ei competit per §. VII. Obligatio positiva, quae est obligatio pendens a voluntate entis cuiusdam rationalis, eaque speciatim diuina, quae a summi Numinis voluntate pendet, ei denegari haud poterit. In Dei voluntate est quaerenda ratio existentiae huius vniuersi (per princip. Theolog. nat.) adeoque Deus voluit, ut consecraria actionum intrinsecus bonarum ac malarum sequantur easdem aetui datas; hinc vero rite actionibus



nostris liberis tribui potest moralitas extrinsecus talis a Dei, ut superioris, voluntate pendens. Si hoc, a Dei voluntate etiam motiva sunt connexa. Ergo obligationem habes a Dei voluntate pendentem hoc respectu in ipsa lege naturali. Ergo obligationem positivam diuinam. Hinc sequitur, ut obligatio legis naturalis sit mixta: et quum lex, quae constituitur obligatione mixta, a doctoribus iuris naturalis dici soleat qualificata: lex naturalis est qualificata.

*SCHOL.* Me esse in hac §. praceptorum meum ad cines res usque deuenerandum, illustrem atque excellentissimum DARJES in institut. iurisprudentiae vniuersitatis §. LXVII. LXVIII. LXXVII. LXXVIII. CXXVII. corol. II. §. CXXXIII. corol. I. mihi praeceuntem sequutum, grata mente profiteor.

*COROL. I.* Quatenus lex naturalis iuxta obligationem positivam consideratur, pendet a voluntate Dei, quae est liberrima. Liberae enim voluntati diuinae est triduendus actus, quo Deus vult, ut ea, quae sunt ab ipso alia, reddantur existentia per Theol. nat. Ergo et liberae voluntatis Dei actus erit, quo Deus vult, ut intrinsecus bonae ac malae actiones fiant, et sic quoque consequentia ipsarum actui reddantur. Diuerso proinde respectu obligatio legis naturalis erit necessaria et immutabilis (§. VIII.) ac non necessaria nec immutabilis per haec, quae modo diximus.

*COROL. II.* Quum in lege qualificata obligationi naturali accedat positiva: sequitur, ut obligatio legis naturalis propterea, quod est lex qualificata, eo fortior efficiatur.

*COROL. III.* Tandem exinde, quod lex naturae est lex qualificata; sicut, non esse adeo inconueniens, ut ali quibus

quibus visum est, adsumere cum b. cocceio Dissert. de principio iuris naturalis vnico, vero et adaequato 1690. 1702. 1712. edita, voluntatem Dei pro principio legum naturalium. Hoc tamen obstat, quod principium ita enunciatum non obligat Atheum.

§. XI.

Lex naturalis est propter hominis rerumque essentiam et naturam immutabilis (§. IX.). Ergo nec voluntas Dei nec eiusdem vis exequutiva, potentia potest immutare legem naturalem (§. V. et VII.) idque eo minus, quo certius est, legem illam vtpote tendentem ad perfectionem rerum creatarum conuenire exacte cum voluntate Dei, tendente ad optimum, sanctissima et iustissima. Quae quum ita sint, mutatio legis eiusmodi contrariabitur voluntati Dei, quae est sancta et iusta; adeoque mutatio legis naturalis *αδυάτοις θεος* est adnumeranda, (§. VI.) atque quum ipsi Dei naturae et essentiae pariter ac essentiae et naturae entium a Deo diuersorum talis mutatio sit aduersa, spectabit ad impossibilia Dei ordinis tertii (§. V.).

*SCHOL.* Digna sunt, quae hic adferantur verba HVGONIS GROTI in lib. I. cap. I. de iure belli et pacis p. m. 4. inquietis: est ius naturae a Deo immutable, vt ne a Deo quidem mutari queat: quamquam enim immensa est Dei potentia, dici tamen quaedam possunt, ad quae se illa non extendit, quia, quae ita dicuntur, dicuntur tantum; sensum autem, qui rem exprimat, nullum habent, sed sibi ipsis repugnant. Sicut ergo vt bis duo non sit quatuor, ne a Deo quidem potest effici, ita ne hoc quidem, vt quod intrinseca ratione malum est, malum non sit.

B 3 §. XII



## §. XII.

Immutabilitati legis aduersatur eius *relaxatio* siue *dispensatio*; *abrogatio*, *derogatio* et *obrogatio*. Dispensatio est mutatio, quam lex caeteroquin manens ita patitur, ut circa hanc vel illam personam in hac vel illa re tollatur, siue ut cum illustri D<sup>A</sup>R<sup>J</sup>E<sup>S</sup> loquar in obseruat. ad ius naturae obf. XXVII. quae de dispensatione agit p. 276. liberatio talis ab obligatione, qua conceditur alicui facultas legem sine periculo percipiendi poenam cum legis violatione connexam violandi. Abrogatio legis est mutatio, qua lex prorsus tollitur ita, ut amplius neminem obliget. Derogatio audit mutatio, quam lex patitur, dum eius pars tollitur. Obrogatio tandem est mutatio legis in contrarium.

*COROL.* Ex criteriis dispensationis allatis satis abunde adparet, eam ab interpretatione legum *nat<sup>e</sup> ἐπείκειας* siue pro aequitate multum differre. In hac enim persona aut res verbis quidem non autem sententia est lege comprehensa, et reus visus vere non obligatur. Dispensatio vero requirit, ut obligatio, quae vere versatur circa personam aut rem, tollatur. Plura de hoc discrimine leguntur ab excell. D<sup>A</sup>R<sup>J</sup>E<sup>S</sup> a) et I<sup>O</sup>H. C<sup>R</sup>E<sup>L</sup>L<sup>I</sup>O b) tradita.

## §. XIII.

Mutatio legis naturae est *ἀδύνατος θεός* (§. XI.). Mutationum legis species sunt dispensatio, abrogatio, derogatio.

a) in supra laudatis Observationalibus p. 280.-282.

b) in Ethica Aristotelica, quae cum Ethica Christiana primo Selenburgi (i. e. Lunaeburgi) apud Afferios (i. e. den Sternen) fine die et Con-

fule in 4. prodiit, nomine I<sup>O</sup>H. C<sup>R</sup>E<sup>L</sup>L<sup>I</sup> praefixo; dein autem Cosmopolis per Eugenium Philalerhem sub vero nomine Crellii lucem vedit an. 1681. secundum quam editionem videoes p. 142. Eth. Aristotel.

rogatio et obrogatio (§. XII.). Ergo dispensatio legis naturalis, de qua nobis praecipuus sermo, eiusque abrogatio, derogatio ac obrogatio erunt *adversata* *thes.*

### §. XIII.

Obseruatio legis requirit notitiam eius in iis, quos obligat. Quodnam vero adest medium, scopum huncce obtainendi? nonne promulgatio? Promulgare enim legem idem est, ac illam eorum, ad quos spectat, notitiae exponere. Promulgatio itaque non potest abesse a lege. Lex naturalis hominibus est promulgata dupli ratione, per naturam scilicet ipsam, et per decalogum. Prius exinde probatur, quoniam obligatio naturalis existens cognosci potest, dum per usum rationis a creatore concessae ea, quae fluunt e nostra natura, educuntur. Creator proinde curauit, conferendo donum rationis, ut notitiae hominum exponeretur lex naturalis. a) Quantumuis autem hac ratione lex naturalis nulla indigeat promulgatione: tamen praeter alias

a) hoc est, quod etiam a diuo Paulo indicatur Rom. II, 14. 15. dum dicit: *Ἐτοι νόμον μὴ ἔχοντες ἐαυτοῖς ἔστι νόμος.* Quod breuibus, ut sensum indicem, hanc postulat explicationem: illi, qui non habent legem reuelaram, sibi ipsis sunt lex, dum se se instruant ac conuincunt de moralitate actionum suarum, subinde iuxta usum rationis ad legis amissim agentes, ac ita actionum malorum illegalitatem detegentes, quippe animis ipsis, desiderio et appetitu impressum est id, quod lex

requirit, ita, ut hinc cognosci possint. Conf. S. reuerend. BAVM-GARTENII *Auslegung des Briefes Pauli an die Römer p. 173. 174.* Neque spernendum est TULLII, de hac legis promulgatione per ipsam naturam facta, testimonium, in oratione pro Milone scribentis: est igitur haec, iudices, non scripta, sed nata lex; quam non didicimus, acceptimus, legitimus, verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus; ad quam non docti, sed facti; non instituti, sed imbuti sumus



alias reuelationes praecipue reuelatione gloria deca-  
logi pro ea, qua semper Deus erga homines vſus est,  
clementia, est promulgata solemniter: quippe rationis  
vſus rectus adeo negligebatur ab hominibus; Deusque  
imbecillitatem hominum hac ratione iuuare et eo fortio-  
rem reddere volebat obligationem. Leges proinde na-  
turales Deus promulgauit expressis quidem verbis in  
decalogo, qui eadem officia, quae sunt legis naturalis,  
nempe erga Deum, proximum et nosmet ipsos con-  
tinet, ac ita differentiam intuitu argumenti inter deca-  
logum, paucissima si excipias conditionis mere po-  
sitiae, legemque naturae ob intrinsecam decalogi  
constitutionem admittere veremur. Quidquid igitur  
valet de lege naturali tam in genere, quam in specie,  
illud nec decalogo potest denegari. Immutabilitas illius  
auersatur dispensationem, abrogationem, derogationem,  
et obrogationem per §. XIII. Ergo haec circa deca-  
logi praecepta locum habere nequeunt, iis tamen ex-  
ceptis, quae sunt conditionis mere positiae.

*SCHOL.* Legem naturalem decalogi summa continere  
quum adseruimus, temeritatis ingrederemur notam,  
nisi ita dixissimus differentiam intuitu argumenti inter  
decalogum et legem naturae dari nullam, si quaedam  
excipias, eaque paucissima conditionis, mere positiae.  
Decalogus enim comprehendit omnia, quae sunt  
iuris naturalis; praeter ea tamen adhuc alia, quo-  
rum notitia ex contemplatione naturae hauriri nequit.  
Exemplo sit lex positua de sanctificando sabbatho et  
praeci-  
mus: et Lib. I. de Legibus ait: Est ratio summa insita in natura, quae  
fubet ea, quae facienda sunt, pro-  
hibetque contraria. Eadem ratio  
cum in mente hominis est confir-  
mata et confecta, est lex etc.

praecise septimo die. Nonne haec creationi mundi, a qua Deus septimo die quieuit, originem debet? nonne mutata est in Nou. Test., in quo non septimum, sed primum hebdomadis colimus diem? nonne vero repugnaret hocce, nisi adiecissetus limitationem, immutabilitati legis naturalis in §. XIII. stabilitae? Praeceptum si respicimus quartum, iterum in eo occurret determinatio, ad Iudeos praecipue restringenda; missio videlicet boni, quod obseruanturis hoc praecptum in terra Canaan referuaret diuina bonitas, conf. Exod. XX. 12.

### §. XV.

Huic veritati de indispensabilitate legis naturalis, quae in decalogo quoque est promulgata, aduersantur sententiae variae et perplexae multorum doctorum Scholasticorum, de quibus verba caedunt b. BV DDEVS a) s. R. WALCHIVS b) b. GODOFRED. MOEBIUS c) b. IOH. THILO d) GISBERT. VOËTIUS e) et in primis b. IOH. ADAM SCHERZERVS. f) Horum, potissimum vero postremi vestigia prementes notabimus I.) quosdam inter Scholasticos temere adfirmasse, quod Deus in omni pracepto naturali et decalogi cum quolibet dispensare possit, imo et praecipere contraria his praceptis, etiamsi sit odium ipsius Dei, quo supposito laudabile foret, Deum odio prosequi. Haec fuit opinio

a) institut. Theologiae moral. P. II. Cap. II. p. m. 407.  
b) in dem Philos. Lexico p. m. 522.  
c) in Theolog. canonica p. 214.  
d) in medulla Theologiae Vet. Test. ad Exod. XII. 35. 36. p. 179.

e) in dissert. de iure et iustitia Dei, quea in P. I. disp. ipsius sele&t. Theologicarum exstat p. 348. 349.  
f) in breuiario Theologiae Hulseman. enucleato et aucto p. 1676. et 1677.

C



nio OCCAMI, a) GERSONIS b) CARAMVELIS. c)  
 II.) Alios vrgere, discrimen obseruandum inter praecepta  
 primae et secundae tabulae: duo priora tabulae primae  
 esse Deo indispensabilia, tertium cum reliquis omnibus se-  
 cundae tabulae dispensabilia statuentes; quae fuit senten-  
 tia SCOTI d) GABRIELIS BIELII e) BONAVEN-  
 TVRAE. f) III.) Rursus alios distinguere inter prae-  
 cepta negatiua et adfirmatiua; illa adserentes esse dis-  
 pensabilia, excepto tamen quinto, haec cum quinto Deo  
 esse indispensabilia. Huic opinioni subscrispsit DVRA N-  
 DVS. g) IV.) Tandem omnium pessimam obseruamus  
 sententiam SANCTII h) et CANI, i) statuentium, prae-  
 cepta legis naturae etiam humana potestate esse dispen-  
 sabilia. Attamen non defuere inter doctores huius or-  
 dinis, qui veritati a nobis defensae calculum suum adie-  
 cerunt. VALENTIA k) enim, VASQUEZ l) RICHARD-  
 DVS, m) aliique a THILONE et SCHERTZERO l.l.  
 c. c. produeti in medium, negarunt recte, ullum prae-  
 ceptum iuris naturalis, siue expressis verbis in decalogo  
 contentum, siue minus, etiam a potentia absoluta Dei posse  
 dispensari. Hanc quoque sententiam communem adpel-  
 lat et defendit SVAREZ. Optime vero iudicat s. R. WAL-  
 CHIVS l. c. ambagibus illis et alucionibus superse-  
 dere posse quemlibet, dummodo hinc veram dispen-  
 sationis notionem, illinc vero ipsam rationem ac condi-  
 tionem

a) 2. q. XIX. ad 3. et 4. dub.

b) de vita spirituali Le&t. I. Cor. X.

c) Theol. Mor. Lib. II. fol. 252, fqq.

d) 3. Dist. XXXVII. q. vn.

e) 3. Dist. c. q. I. a. 2.

f) 1. d. XLVII. q. vlt.

g) 1. d. XCVII. q. 4. a. 3. n. 16. sq.

h) L. IIX. de Matrim. Disp. VI.

i) Relect. de Poenit. v. 5.

k) Disp. VIII. q. IV. p. 6.

l) 1. 2. Disp. CLXXIX. C. 2. n. 12,

m) 3. Dist. XXXVII. a. 1. q. 5.

tionem legum naturalium recte cognoverit, quo facto ipsum fugere non posset, quod dispensabilitas et lex naturalis sint ideae incompatibilis. Caeterum eundem errorem errat cum illis scholasticis Arminianorum celebris doctor STEPHANVS CVRCELLAEVS in operibus theologicis fol. 742. 743. statuens, Deum aliquos et ad tempus dispensare posse ab obseruatione praceptorum, quae sunt iuris naturalis, non quidem in rebus in summo gradu honestis aut turpibus (vt sint amare Deum, mandata eius obseruare, odisse Deum) sed in rebus, quae in medio vel infimo gradu homini sunt turpes.

### §. XVI.

Sententiis hisce variis reuelationis quaedam dicta, sinistram passa interpretationem, ansam dederunt, quorum pertinet Gen. Cap. XXII. com. 2. in quo Deus a lege naturali: neminem occidas, videtur quibusdam dispensasse. Huic accensent Scholastici vers. 19. - 21. Cap. Exod. secundum quos supremum Numen obstetricibus Aegyptiis, quamuis mendacia dixerunt, multiplici tamen ratione benefecit. Nec excipiunt illi a dispensatione, quae Cap. XI. 2. et XII. 35. 36. huius libri habentur. Hoc enim in casu, quem prae reliquis vberius sumus in sequentibus pertractaturi, Deum, inquiunt, non solum adprobasse furtum, sed et ipsum Israelitas ad hoc committendum instigasse. Referri quoque ad dispensationem legis naturalis solet passim id, quod Hof. Cap. I. vaticinii sui v. 2. a Deo praeceptum esse legimus.

### §. XVII.

Grauiora quidem sunt singula dicta allegata, quam quae possint iuxta regulas hermeneuticas intra arctiores differ-



tationis limites exponi curatius. Interea non erit labor superuacaneus, si annitar, ut mentem meam breuibus de singulis his declarem, et doctiorum iudicio subiiciam. Antequam vero id persequar, monebo generatim, facilius has vel alias difficultates circa legis naturae indispensabilitatem natas posse solui; dummodo obseruetur I.) non confundendam esse dispensationem cum interpretatione legis naturalis pro aequitate, de quarum discrimine supra, videlicet §. XII. Corol. dictum est. II.) inter dispensationem et tolerantiam sat magnum intercedere interuallum, de quo b. BAIERVS a) eruditus commentatus est. Tolerari moraliter dicuntur in aliquo subiecto, quae sunt contra legem, cuius obligatio non soluitur, ita ut, quae hoc modo contra legem fiunt, nequeant a legislatore et vindice legis adprobari; etsi ob causas certas non illico puniantur. Ita v. c. Deus in piis, recte obseruante b. BVD-DEO b) multa tolerat ea conditione, si aut ex ignorantia, aut imbecillitate aliquid contra legem sit, aut tamen nulla proaeresis in illis sit, legem violandi, sanctum contra et sincerum studium eam seruandi pro viribus. Dispensatio vero prorsus excludit displicentiam actionis, e contrario adprobacionem eius requirit. Obseruemus III.) probe esse attendendum, vtrum etiam aetio, circa quam dispensatio facta praefumitur, merito videri possit quadantenus legi cuidam naturali aut decalogi contrariari, nec ne? IV.) in iis, quae merito suo videri possunt legi cuidam naturali aut decalogi contrariari, et tamen a Deo adprobata reperiuntur, esse discrimin facien-

a) in Diff. de differentia dispensationis et tolerantiae.

b) in Theol. Mor. p. 407.

ciendum inter mutationem legis, et mutationem obiecti.  
 Ex tertio horum momentorum respondemus ad difficultates motas ex Exod. I, 19. - 24. et Hof. I, 2. 3. Quod enim ad illum locum attinet, vbi falsiloquium piarum obstetricum commemoratur a Deo benedictione ob illud ornatarum; de eo, re penitus considerata, certo certius est, legi cuiquam naturali aut decalogi hoc falsiloquium merito videri posse contrariari. Verum quidem est, mendacium quodlibet prohiberi lege naturali et decalogo. Ait mendacii notionem frustra applicabis illis, quae de obstetricibus leguntur. Falsiloquium tantum potest ipsis tribui, de quo ex principiis Philosophiae et Theologiae moralis constat, quod pro diuersitate circumstantiarum saepius vitio carere possit, sicut et licitum est, quandoque veritatem dissimulare. Quin imo passim ab interpretibus obseruatum est, ne quidem opus esse, vt falsiloquium admittatur, quum nihil repugnet, quo minus verum esse potuerit, vt Israelicæ mulieres clam praemonitae haud vocarint obstetrics, Deique singulari benedictione adiutae in pariendo fuerint viuidae. Quo posito post partum aduenientes obstetrics hoc boni fecerunt, quod studio noluerunt procedere ultra limites mandati, et foetum iam editum scrupulosius inuestigare, vel matres ad regem statim deferre. Huic sententiae adstipulatur, vt alios taceam, b. AVG. PFEIFFERVS, a) nec possum deprehendere in ea, quae displiceant. Verum enim vero si priorem, quae falsiloquium commisisse obstetrics tradit, etiam praeferre velis sententiam, nobis perinde erit, dummodo falsiloquium pro mendacio haud venditetur. Subiungimus locum Hof. I. 2. 3. de quo etiam negamus, quod merito videri possit contrariari cuiquam legi naturali id, quod prophetæ in eo esse mandatum a Deo legimus. Ait dominus: accipe tibi אֶשְׁתָּו וְנוֹנִים vna cum נִלְרַי. Nescio

C 3

a) in Dub. Vexat. p. m. 212.



Nescio quid viderint THOMAS a) et FELICIANVS CAPITO b) adserentes, meretricem non tantum fuisse, sed et prophetam scortationi operam dedisse, ita tamen, ut non amplius fuerit scortatio; sed Deus in hoc facto dispensarit. Evidet, missis studio breuitatis aliis de hoc loco opinionibus, nullam explicationem veritati hermeneuticae magis conuenientem deprehendo illa, quae statuit, prophetae mandatum esse, ut mulierem, quae prostibulum fuerat, legitimo matrimonio duceret in uxorem, et ita liberos eius cooptaret in meretricio statu natos: hoc enim cum Dei intentione, volentis, ut actio esset symbolica et cum caeteris omnibus, quae contextus sisit, amice conspirat. c) Ita vero omnis certe exulat pugna cum lege quadam naturali; exulat proinde omnis de dispensatione circa eam facta meditatio. Si locum Gen. XXII. 2. respicias, merito de eo videri posset, legi naturali et decalogi de non occidendo contrarium esse datum in illo praeceptum de mandando Isaaco, nisi inter eruditos constaret, Dei scopum minime fuisse occisionem Isaaci, verum fidei in Abraham explorationem, et sic quoque rem s. r. WALCHIVS d) expedivit feliciter. Non volebat Deus, ut Abraham mandaret filium, quum iam haberet decretum, Isaacum non esse mandandum, verum ad probandam Abrahami fidem et obedientiam id mandabat, non ut hae dotes Deo innotescerent, sed ut aliis insigni hoc exemplo praeluceret. Causas tamen, ut hoc modo discrepantiam voluntatis signi et beneplaciti in sensu Reformatorum adsumas. Serio volebat Deus, quod praeceperat in mandato, nempe sumi

a) I. 2. q. 94. a. 5. ad. 2.

b) T. II. Vindiciarum p. 168.

c) Nulla est obiectio PETRI MARTYRIS in Locorum Theol. T. I. p. 578. afferentis prophetam scortatum esse vere, sed Dei iussu, atque ita haud peccasse, ac dein adiicientis: scio fuisse, qui putarint, Hoseam non

esse iussum scortari, sed scortum uxorem ducere: sed id non conuenit: nam sequitur, et suscipias ex ea filios fornicationum; Vbi enim verba: suscipias ex ea inuenerit, hariolari nequeo. Forsan in versione magis scilicet sapiente, quam veritas textus.

d) im Philosophischen Lexico p. 523.

◆ ◆ ◆

sumi filium ab Abrahamo et offerri **לְשָׂלֵחַ** vt sit holocaustum,  
 a parte eius, et si probe Deus a parte sui nouisset, quid esset  
 acturus ad impediendum exequutionem plenam immola-  
 tionis. Quae quum ita sint, nunc, cum facti exitus patet,  
 ex tertio monito supra allato res potest decidi: nempe nec  
 videri posse praeceptum Abrahamo datum contrariari legi  
 cuiquam naturali. Sed quid Abrahamo hac de re videri pot-  
 erat? huic certe rei euentum nescienti, ac Deo, quae ipse  
 facturus esset, non declarante, merito tale praeceptum pot-  
 erat legi naturae videri aduersum: idemque statuendum est,  
 si per hypothesis possibilis adsumamus, decreuisse Deum  
 maestationem Isaaci, et illam quoque iussu Dei ab Abrahamo  
 esse consummatam. Harum difficultatum solutionem prae-  
 stabit momentum quartum ex supra adductis, quo mutationem  
 legis et mutationem obiecti esse discernendam, dictum  
 est. Lex de homicidio vitando Abrahamo pte de Deo et  
 lege sentienti manere poterat indispensabilis; et tamen nul-  
 lum ei dubium suboriri, quin Deus posset ipsi praecepere  
 filii sui maestationem, sicut et, si vere maestasset, nostrarum es-  
 set partium iudicandi, legem ipsam esse indispensabilem,  
 rem vero, de qua lex constituit, mutationem subire. Hoc  
 bene explicat ac vrget THOMASIVS, a) et HVGO GRO-  
 TIVS b) quorum verba digna videntur, quae exhibeantur.  
 Prior haec verba facit: *notae sunt in vulgus variae obiectiones*  
*intuitu dispensabilitatis iuris naturae --- de occisione Isaaci, etc.*  
*ad quas tollendas varias et infinitas fere excogitarunt distinctiones,*  
*quibus omnibus opus non est, quum plane nulla dispensatio*  
*ibi intercesserit, sed actus isti a Deo praecepiti vel commendati*  
*non fuerint homicidium, adeoque confunditur a sentientibus*  
*mutatio obiecti cum mutatione legis.* GRO TIVS b) vero ita dis-  
 serit: *fit interdum, vt in his actibus, de quibus ius naturae ali-*  
*quid constituit, imago quaedam mutationis fallat incautos, quum*  
*reue-*

a) Iurispr. diu. L. I. C. II. 99.

b) de Iur. B. et P. L. I. C. I. §. X. p. m. 4.



reuera non ius naturae mutetur, quod immutabile est, sed res, de qua ius naturae constituit. Exempli gratia, si quem Deus occidi praecipiat, si res alicuius auferri, non licitum fiet homicidium aut furtum, quae voces vitium inuoluunt; sed non erit homicidium aut furtum, quod vitae et rerum supremo auctore fit. Nec praetereundum est effatum hoc praecipue spectans IOAN. VOLKELII a) Socinianismi quidem macula deforemis, caeterum docti viri laude non defraudandi. Non tantum, inquit, generales leges figere potest Deus, -- sed et mandata singulis dare praeclarria, et quidem eiusmodi, quae a generalibus aliquo modo aduersantur, vel saltem aduersari videantur, quum Abraham praeceperit, ut filium suum unigenitum offerret (Gen. XXII. 2. et d.) licet iam lex esset lata de sanguine humano non fundendo et natura ipsa caeteroquin a nece liberorum abhorreat. Sed quia Deus, ut dominum omnium absolutus ius habebat vitae et neris in Isaacum, de ex statuere iure poterit, ut in experimentum virtutis et pietatis paternae occideretur: poterat et pater pro absoluta sua potestate praecipere, ut ipsem filii necem manu sua patraret. Iure ergo utramque statuere poterat, de illo, ut insons necem pateretur; de hoc, ut inferret. Nec tamen iura naturae violari voluis, et affectum parenti indetum exscindi cet. Haec VOLKELIUS. Quibus addit SAMVEL MARESIVS, non tantum venire considerandam potestatem dominicam, siue herilem, qua Deus ius vitae et necis habebat in Isaacum, sed etiam iuridicam, quoiam Isaac peccator fuisset, de cuius morte et suppicio disponere potuerit Deus pro suo arbitrio, eo modo, et per quem ipse iuberet, quae adnotatio minime videtur inepta. Hanc mutationem obiecti concedunt nonnulli viri docti praecipue Thelogi, ut QVENS-

a) Lib. I. de vera Religione C. XXIII.  
quod inscribitur: *de potestate Dei.*  
Vtor autem quinque VOLKELII li-  
bris de vera Religione secundum edi-  
tionem SAMVELIS MARESII,  
qui *Hydrae suaे Socinianismi expu-*

STE-  
gnatae inseruit libros Volkelianos,  
ita quidem ut tres posteriores in  
Tomo II; duo priores in Tomo I.  
exstant, in quo itaque p. 280. locus  
exhibitius deprehenditur.

STEDIVS a) et MOEBIVS, b) posse dici dispensationem im-  
proprietate *καταχεισικῶς* sic dictam, atque certe hac ratione  
voce utentes, in sensu minime errant, dum statuunt, dispen-  
sationem fieri posse circa ea, quae sunt legis naturae; Quan-  
tumuis melius videatur ad omnem uitandam aequiuoca-  
tionem, mutationem obiecti legis prorsus non vocare dis-  
pensationem.

### §. XVIII.

Iam adipicemus dicta ad casum, quem praecipue in fine  
huius tractationis ante oculos habere decreuimus, et de quo  
nunc iudicium ferre haud erit difficile. Praecepit Deus  
Exod. XI, 2. vt Israelitae vasa aurea atque argentea ab  
Aegyptiis mutuo acciperent; id quod, referente Cap. XII,  
35. 36. ita euenit, prout Deus dixerat. Quaeritur proinde:  
num adsit dispensatio a lege naturali: neminem laedas in  
τῷ suo? minime. Deus mutauit, inquiunt rectius sentientes  
interpretes, tamquam supremus legislator, cuius in relatione  
nulla homines sibi possunt vindicare bona, etiam hic obie-  
ctum legis naturalis, mandans, vt Israelitae Aegyptiis vasa  
non amplius, vt aliena, sed vt sua absportarent, quod ius ipsi  
denegari nequit; siquidem Deo citra omne dubium com-  
petit ius omnibus disponendi. Hoc est, de quo in praesen-  
tia rerum prolixius est differendum.

### §. XIX.

Ordine vt procedamus, verba ipsa iuxta veritatem ebrae-  
am adducemus; opiniones de actione Israëlitarum afferri  
solitas enarrabimus, atque id, quod de textus explicatione  
ac re, de qua agitur, nobis videtur, iuxta regulas veri dicen-  
dum esse subiungemus. Simul spectanda veniunt pree-  
ptum, quod Deus cum Israelitis communicandum Moïs in-  
nungit, Cap. XI, 2. et eius exequitio enarrata Cap. XII, 35. 36.  
Prius ita sonat:

vers. 35.

a) Synt. P. II. C. II. S. I. p. 930. b) Theol. Canon. p. 215.  
edit. nouiss.

D



רְבָרְנִיא פָּאוֹן הַעַם וַיְשַׁאֲלוּ אֲשֶׁר מֵאָה  
vers. 35. Verba huius etiam sunt רְעִתָּה בְּלִי־כְּסֻף וְכֵלָן זְהָב:  
autem Cap. XII. vers. 35. et 36. sunt, quae sequuntur:  
וְבָנֵי־יִשְׂרָאֵל עַדְזָנוּ בָּרְכָר מְשָׁה וַיְשַׁאֲלוּ מִמְצָרִים בְּלִי־כְּסֻף  
וְכֵלָן זְהָב וְשְׁמָלוֹת:

וְהַזְּהָב נִתְּנוּ אֶת־הַזְּהָב הַעַם בְּעִיטָן מִצְרָים וַיְשַׁאֲלוּ  
vers. 36. וַיְנַצְּלוּ אֶת־מִצְרָים:

Translatio eorum ad fontem adcommodata erit sequens:  
vers. 2. Loquere quaeſo in auribus huius populi: vt petant  
vir a proximo ſuo ac femina a proxima ſua vafa argentea et  
vafa aurea.

vers. 35. Ac filii Israel fecerunt ſecundum verbum Moſcheh: et petierunt ab Aegyptiis vafa argentea et vafa au-  
rea, et vefimenta.

vers. 36. Iehouah autem dedit gratiam populi ſui in ocu-  
lis Aegyptiorum, et commodarunt illis: ſic ſpoliarunt  
Aegyptios.

#### §. XX.

In hoc praecepto Dei ab Ifraēlitis, vt par erat, impleto  
voluerunt inuenire Scholastici dispensationem circa furti  
prohibitionem (§. XVI.) Saniores vero illis interpretes hic  
vrgent, vt dixi (§. XVIII.) mutationem non legis, verum ob-  
iecti eſſe factam: ac ita viſus eſt iſpis hic caſus legi cuipiam  
naturali aduersari ac ita dignus, cui quartum monitum  
(§. XVII.) allatum ſit adplicandum. In eo tamen diſcre-  
pare deprehenduntur horum ſententiae, vtrum legi dolum  
prohibenti, an furtum vetanti aduersari videantur. Poſte-  
rius permulti autumant, vnde et ſatum controverſiae de  
mora-

moraltate facti communiter ita formant: vtrum furtum commiserint Israelitae, vasa Aegyptiorum auferentes, nec ne? sic ait b. MOEBIUS: a) furtum Israëlitarum Aegyptios spoliantium Exod. XI, 2. XII, 35. 36. videtur quidem furtum esse, et contrariari praecepto naturali de non furando, quia rem alienam inuitis dominis abstulerunt, attamen caet. quae tamen verba cum tota vberiori decisione, ne vocula quidem mutata, quod miror ex b. MEISNERI *Philosophia sobria* b) exscripta sunt, cuius vero nullam facit mentionem, ac si de furto sine furto agere habuisset nefas. Verum furti definitio vtpote quod ablationem esse rei alienae inscio et invito domino constat, huic Israëlitarum facto minime quadrat. Neque enim Israelitae vasa auferebant insciis dominis, neque invitis iis, dum petiissent ab Aegyptiis vasa, et in egressu vt Aegyptii illa repoposcerint, tantum abesset, vt potius populum vna cum vasis festinantes dimitterent; vt testatur locus Exod. XII, 32. Consideranti itaque factum Israëlitarum et requisita furti nec videri poterit factum fuisse fur- tum. Accedit ratio philologica, quod in enarratione eius scriptor diuinus haud vñus sit voce 羽 quae furto est/propria. Proinde alii fuere, qui dolum videri posse Israelitärum factum autumarunt, de quo nunc agamus, necesse est.

### §. XXI.

Dolus simpliciter dici solitus, aut etiam cum addito malus c) dicitur defectus rectitudinis humanae, quoad voluntatem vel noluntatem vincibilis, duas sub se comprehensas species, quarum altera inuoluit actionem, cuius coniectaria agens intendit, et sic oritur dolus ex proposito; altera vero determinat actionem quae quidem directe non

D 2      inten-

a) Theol. Canon. p. 215.

b) vid. modo P. III. p. 1124. qui nimo confer. iam p. 1122. 1123. cum MOEBII p. 214.

c) Subinde enim potissimum ave-

teribus dolus tam late sumitur, vt duae eius species siant: *doli boni et mali*. Sic VLPIANVS L. I. ff. de dolo malo auctor est, veteres dixisse dolum bonum.



intenditur, cuius tamen consectaria, ex post facto sequuta; cognita ab agente adprobantur, et haec species sub nomine doli ex re obuenire solet. a) Illum huic moralitatis gradu praecedere, ex definitionibus patet; at instituti nostri ratione probationis euolutionem haud poscente, ea superse-demus. Omnem autem dolum contrariari vere legi naturae, sequentem in modum probamus: quicunque agens sciens volensque legem moralem, id est, regulam, cui quilibet actiones liberas attemperare obligatur, violat, ille actionem legi naturae contrariam committit, quoniam lex moralis continetur in lege naturali. Atqui dolose agens sciens et volens legem moralem violat per definit. doli. Ergo actionem legi naturae contrariam committit. Eiusmodi dolo legi naturae aduerso yideri potest primo intuitu actio Israelitarum magis similis, quam furto: ac ita Deus circa legem de dolo vitando in pracepto Israelitis dato videtur dispensasse. Quum vero lex naturae quaelibet sit indispensabilis: videamus, quomodo hic doli maculam, vtut magna eius adsit species, abstergamus a facto Israelitarum.

### §. XXII.

Defectus restitutionis vincibilis spectat ad notionem doli (§. praeced.) hic eo ipso cessauit, dum Deus praecepit petere ab Aegyptiis vasa, quae ipse supremus omnium dominus ab Aegyptiis ad Israelitas transtulit, ita, vt non aliena, sed sua, absportarent Israelitae, atque ita mutatio est facta obiecti, non vero legis. Eaque ratione nec cum dolo ex proposito, nec cum dolo ex re confundi poterit id, quod fecerunt Ebraei. Rationem vero si inquiras, quare summo Numinis placuerit translatio vasorum ex uno dominio in alterum, facile eam reperies in eo, quod Ebraei laboribus gravissimis Exod. I, 11-14. descriptis, erant pressi, qui Mose et Aarone efflagitantibus dimissionem, multiplicabantur iuxta Exod. V.

a) vid. Per - Illustris L. B. Wolfi Phil. pract. vniu. §. 713.

Exod. V. nec tamen minimam in renumerationem tot tamtarumque molestiarum reportabant mercedem, quin potius ab iniuitate exactorum in dies peiora patiebantur. Hinc iustitiae Dei, qua erga homines iustus est, immediate adiudicare voluit Aegyptiorum vasa aurea et argentea Israelitis, qui haetenus tot labores in Aegypto exantlauerant. Hoc est, quod iamiam vidit S. IRENAEVS a); Populus, inquit, pessimam seruitutem seruiebat Aegyptis, quemadmodum scriptura ait, et quum ii potestatem exercebant in filios Israel et in odium eis adducebant vitam, in operibus duris luto et latere et omnibus operibus, quae siebant in campis cet. quid iniuste factum est, si ex multis pauca sumferunt, et qui potuerunt multas substantias habere, si non seruiissent iis, et diuites abire, paucissimam mercedem pro magna seruitute habentes, inopes abierunt? consentit a v. GVSTINV: b) Aegyptii, ait, sacrilegi et iniqui erant, qui et auro illo, hoc est, Dei creatura male vtentes, ad creatoris iniuriam suis idolis seruiebant, et homines peregrinos labore gratuito iniuste et vehementer adfixerant. Digni ergo erant Ebraei, quibus talia iuberentur, et Aegyptii, qui talia paterentur. Eadem fuit b. proau mei, in cineribus adhuc pie deuenerandi, IOH. QVISTORPII sententia, cuius verba, quae concinnitate pariter ac iudicij retitudine sese maxime nobis commendant, ita fluunt: b) *Iusta* est haec spoliatio ab eo pracepta, qui in omnia dominium habet, et qui pro laboribus hanc mercedem ab Aegyptiis interuersam dederat, qui auctoritate iudicis rem sibi debitam aufert, aut iustae poenae loco aliquem ingratum debitorem bono quopiam suo spoliat, non peccat. Haec ille. Huc quoque resperxerunt, et mutationem obiecti, non legis adsumferunt pro eo, ac debuerunt, ad vindicandam legum naturae immutabilitatem, qui furto simile factum quaestionis videri posse praesu-

D. 3. munt.

a) aduersus haereses L. IV. C. 49. b) in annotationibus biblicis ad hil. pag. 23.



munt. Ita enim b. IOAN. THILO a) scribit: communiter, qui  
commodationem hic factam statuunt, ita Israelitas a furto ab-  
soluunt: Quod, Deo iubente ab uno homine ad alium defer-  
tur, furtum quam minime censendum est. Quodsi enī m  
in foro civili minime iudicatur furtum, quando magistratus  
debitori iustum solutionem deneganti tot bona vi adimi cu-  
rat, quot vel requiruntur ad satisfaciendum creditori, vel  
debentur pro mercede ei, qui laborauit, quanto minus ha-  
beri furtum debet, quum summo magistratu, Deo scilicet  
adiudicante, haec bona Aegyptiorum Israelitae sibi seruauue-  
runt, a quibus nihil mercedis, vel stipendii pro durissimo  
tot annorum exantlato labore haētenus tulerant? et hoc  
respxit auctor libri Sapientiae, quando dicit Cap. X, 17:  
reddidit Deus iustis mercedem laborum suorum. Quibus-  
cum conueniunt verba NICOLAI ARNOLDI b) et b. MEIS-  
NERIC) qui tamen posterior nouam adiungit rationem,  
quare Deus iusserit vasa auferre, nempe quia gens gentem  
inimicam spoliare licite posset, quod etiam vrget b. HACK-  
SPANIVS d) Aegyptii, scribens, erant aperti hostes. Hostes  
autem spoliare licitum est lege diuina. Ergo spolia illa  
furto aequiparari non debent. Verum hanc ex iure spolii  
ab hoste reportare liciti defensionem admittere nolim, post-  
quam non spernendum ANDREAE RIVETI e) de ea re  
iudicium legi, his verbis constans: si iubente Deo et manus  
Ebraeorum corroborante, Aegyptios inuasissent tanquam  
hostes et detentores iniustos, et se non solum eripuissent  
tyrannidi, sed victores spolia ampla reportassent, neque id  
culpari posset, quod aduersus deuictos hostes consuetum  
est. Sed hic alia ratio est. Quamuis enim Israelitae male  
habiti fuissent ab Aegyptiis, non tamen iusto tum decerta-  
bant

a) Medulla V. T. p. 178.

cis ad h. I. T. I. p. 328.

b) in luce in tenebris pag. 107.

e) in Comment. in Exodum p. 910.

c) Philos. sobr. I. supra cit.

T. I. Operum, Roter. 1651. III. To-

d) in notis philologico-theologi-

mis fol. iunctim editorum.

bant bello. Pugnabat quidem Deus contra Aegyptios; sed Israelitae se adhuc gerebant tamquam subditos. Deinde in hoc facto petebant a vicinis ab hospitibus, non auferabant ab hostibus declaratis.

§. XXIII.

Non desuere, quibus aliam potius rationem defendendi Israelitas vasa Aegyptiorum auferentes, inire placuit, quam illam, cui haec tenus nos ad sensum praebere declarauiimus, auferendo cum sat multis, quorum vestigia premimus, Deum mutasse materiam legis, atque ita voluisse, ut Israelitae res commodatas non tamquam alienas, sed suas, sine dolo, cuius speciem aetio habet, ob dominium a Deo in ipsos deuolutam auferant. Nec furti, nec doli speciem hic deprehendi volunt, nec pugnam adparentem cum lege quapiam naturali adesse statuunt. PERERIVS quidem, referente cius sententiam CORNELIO a LAPIDE, a) autumat, Ebraeos ita petiisse vasa ab Aegyptiis, ut cogitauerint, bona fide reddere Aegyptiis, quae commodato ab ipsis acceperant; sed quum ipsi Aegyptii abeuntes Israelitas, quos bona pace dimiserant, contra datam fidem hostiliter insequerentur, censuisse eos, se officio reddendi eo solutos esse, et Aegyptios, tamquam iam publicos hostes, esse indignos, quibus ea rediderentur. Vnde vero animus restituendi Ebraeorum huic explicationi pro fundamento substratus probari poterit? Hoc cernentes alii putarunt, tutius fore, si statuerent, dono petiisse Ebraeos, et accepisse vasa; quod si obtineret locum, certe nulla esset difficultas circa facti moralitatem. Sic de donatione explicat b. THILO, b) scribens: quid si dicamus Ebraeos ne quidem commodato petiisse pretiosa ista, sed absolute postulasse, idque iussu Dei, et Aegyptios haec eis dono dedisse. Nititur haec opinio quibusdam argumentis, quae sub examen vocare operae pretium erit. I.) prouocat b. THILO ad locum quendam FL. JOSEPHI, quem de-

a) in Comment. ad h. I.

b) loc. cit.



prehendi in eius antiquit. iud. a) in quo dicit: ὅλοις τε  
τας ἐθνάς ἐτίμων, οἱ μὲν ὑπὲρ τὸν τάυχον ἔξελθεῖν, οἱ δὲ παὶ<sup>ς</sup>  
καταγεννακὸν πρὸς αὐτοὺς σωμῆθεσσαν, quae iuxta versionem  
GELENII ita fluunt: donis etiam Ebraeos honorabant, alii  
quo celerius discederent, alii propter vicinitatis consuetu-  
dinem. Verum et si me non lateat magni CASAVONI b)  
de IOSEPHO testimonium, quod sit scriptor, cuius amor  
veri notissimus, fides constantissima, tamen sat multis in lo-  
cis eum humani aliquid passum esse, et sigillatim quum glo-  
riae gentis patriae litandi occasio data est, dudum ab aliis,  
praecipue vero PETRO BRINCHIO c) est comprobatum.  
Hinc testimonio FLAVII, nisi fortiora adiungantur argumen-  
ta, haud multum tribuere audemus. Pergit autem THILO, et  
adserit suam hypothesin II.) exinde, quod dicatur, Deum  
dedisse gratiam in oculis Aegyptiorum, ut libenter sua iis  
darent. An vero hinc legitime infertur, Aegyptios dono de-  
disse vasa sua Ebraeis? Non putem; certe enim ad id, quod  
commodarent eadem, Ebraeis omnino quoque opus erat, ut  
Deus gratiam dederit populo, caeteroquin Aegyptiis exoso.  
III.) ait, nec **לְנָשׁ** Israelitarum, nec **חַשְׂאִיר** Aegyptio-  
rum necessario importare commutationem. Fatemur: non  
necessario importat. Verum hinc mera possilitas signifi-  
catuum verbi **לְנָשׁ** *donum expetere*, et in Hiphil *dono*  
*dare* fluit. Expendat vero circumstantias aequus harum re-  
rum arbiter, et consideret, vtrum hi etiam intuitu loci no-  
stri in Exodo possint obtinere, nec ne? Non conueniens  
esse videtur, iussisse Deum, ut expetierint sibi; et ita vere  
sibi expetiisse vasa ab Aegyptiis Ebraeos, ut donum abso-  
lute; quum hac ratione Aegyptii facile potuissent suspicari,  
Ebraeos,

a) L. II. p. m. 65. ed. operum IO-  
SEPHI Graeco-Latina, quae Aure-  
liae Allobr. 16II. prodiit.

b) in Exercitationibus Anti-Ba-  
ron p. m. 22.

c) in Examine Chronologiae et Hi-  
storiae FL. IOSEPHI, Hafniae 1701. 4-  
edito, et splendidae IOSEPHI edi-  
tioni, quae e recensione HAVER-  
CAMPY lucem yidit, adiecto.

Ebraeos, quod tamen sollicite dissimulabant, nunquam esse  
redituros ab itinere, quod meditabantur. Scio, quid regeri  
poslit: nempe in phraſi, Deus dedit gratiam populi in oculis Aegyptiorum, iam latere, quod etiam huic suspicioni praecauerit. Sed, vt plura breuitatis ergo contra haec non adferam, quis poterit hoc in loquutione illa reperire? equidem maxime iudico probabile cum tanta liberalitas si Deo illam in Aegyptiis operari placuisse, mirabilior longe fuisset effectus, quam operatio propensitatis ad commondandum vasa in usum paucorum dierum, quibus elapsis Aegyptii sibi persuadebant redituros esse Ebraeos; maxime, inquam, sub his circumstantiis iudico esse probabile, Mosen hoc, quod dono dederint Aegyptii, ea, quae ut gratis sibi donentur iuxta hanc hypothesis Ebrei ab iisdem petiissent, exerto potius ut aiunt, digito, si vera esset hypothesis, monstrasse; cum maiori in omne aeum glorificatione Numinis dura Aegyptiorum corda tanto gradu emollientis inseruiisset. Quod quum non factum esse deprehendimus; etiam haec donatio nobis fit suo iure suspecta. Attamen subiungit THILO pro donatione probanda IV.) nec alibi legimus, Aegyptios bona sua tanquam commodato data eo nomine repetiisse. Damus, nullibi legi: an ideo sequitur; ut vel plane non repetierint Aegyptii, aut si non repetierunt, an ideo necessarium est, negare factam commodationem? neutrum poterit adseri. Dein vero optarem scire, quo sensu b. THILO verba: nec alibi legimus, voluisse accipi? si hoc: nullibi in toto scripturae sacrae ambitu, largior. Si vero sine hac restrictione; ut, quum ipse non restringit, par est, negari potest. Traditio enim per celebris est, quam TERTULLIANVS a) sifit his verbis: aiunt, aetum per legatos utrinque, Aegyptiorum quidem repetentium, vasa, Iudeorum vero reposcentium operas suas caet. Haec verba

a) L. 2. aduersus Marcionem C. XX. p. 652. Operum ex ed. BEATI RHE-NANI.

E



verba enim de traditione historica explicare satius est, quam de viua quadam, vt aliqui sibi persuadent, repraesentatione iuridica actionis, quae possit institui.

§. XXIII.

Itaque inhaeremus eorum sententiae, qui 1.) vocem **שָׁנָה** in Kal, vnde vox **וְשָׁאַלְתִּי** Exod. XI, 2. et C. XII, 35. formata est, explicant per: petere ab alio aliquid: mutuo, siue commodato, non vero per expetere absolute vt domum. 2.) vocem **וְשָׁאַלְתִּים** Cap. XII, 36. vertunt per: et mutuo dederunt iis potentibus, hunc enim significatum verbo **שָׁנָה** in Hiphil vt plurimum competere ipse b. THILO negare haud potuit, qui tamen, vt vidimus, alia ratione interpretatur, nempe per gratificari potenti donando. Quum vero rationes, quare recedit a significatu usitato sint minus validae (§. praeced.) contra regulas hermeneuticas pccaremus cum ipso, si eundem sequeremur. Tandem 3.) **וְיִגְנְּלֹן** non exponimus per *sic spoliarunt spoliatione furti aut doli*, sed ita sumimus vocem spoliarunt, sicut subinde in vernacula vox: berauben, usurpatur v. c. in phras: *foll ich sie dessen berauben?* et similibus; Ita vt liberationem ab uno dominio cum translatione in aliud inferat, cum qua vocis **נִצְלָה** significatus generalis, qui est eripere, adprime conuenit. Quibus indicatis adparet, quam pro imbecillitate mearum virium defendere conatus sum, sententia de facto Israelitarum auferentium vas aegyptiorum; quae vt summatim dicam, eo spectat, vt a.) negem, videri posse furtum. b.) concedam, videri posse dolum γ.) tamen quum Deus ipse mutauerit obiectum f. materiam legis adseram, Israelitas non defraudasse Aegyptios dolo malo δ.) simulque legem ipsam de dolo vitando, minime hic passam esse dispensationem; quum demonstrauimus, dispensationem circa legem naturae pertinere ad *αδύνατα θεού*.

S. D. G.

PRAE-

PRAESTANTISSIMO DOMINO  
R E S P O N D E N T I  
S. P. D.  
JOACHIM GEORG DARJES.

Quum inter primos verae religionis characteres conuenientia cum dogmatibus, quae sana nos docet ratio, referenda; sequitur, veri quoque Theologi characterem esse in veritatum nexus, qui rerum notionibus constituuntur, accuratius, omniq[ue], qua fieri potest, cura atque diligentia inquirere. Sane verum est, quod docet V E R V L A M I V S, philosophiam obiter libatam a Deo ideoque a vera religione abducere, penitus vero exhaustam ad Deum ideoque ad veram religionem reducere. Sumas, exempli cauſa omnes, quas in rebus obseruamus mutationes ad rerum, quatenus connexae sunt, essentias pertinere, et dogmatis euolutio te ab iis abducet, quae Dei per prouidentiam ponuntur. Fingas omnes virium adcommodaciones ut effectus, et nullum erit regimen diuinum nullaque actionum moralitas, et quae sunt reliqua. Quae cum ita sint, probo, laudoque consilium T V V M, doctissime Respondens, Amice suauissime, quod cum aliis doctrinis, quae ad veram ducunt Theologiam, eas quoque coniungis, quae, quantum per vires hominum fieri potest, philosophiam penitus exhauriunt. Egregii erunt diligentiae tuae fructus. Gratulor igitur ecclesiae de nouo Q V I S T O R P I O, qui in adscendentium familiaeque succedet merita. Ita vale! Scrib. Ienae die III. April. M DCC LIV.

VIRO EXCELLENTISSIMO EXPERIENTISSIMO DOCTISSIMO  
D O M I N O  
IOANNI BERNHARDO QVISTORPIO  
MED. D. ET IN ACAD. VARNIACA PROF. PVBL. ORD. LONGE CELEBER-  
RIMO POLIATRO CIVITATIS ROSTOCHIENSIS SPECTATISSIMO  
P A T R O N O S V O  
A E T A T E M V E N E R A N D O  
S. P. D.  
I A C O B V S W I L H E L M V S B L A V F V S.

Ego vero, consenfurus cum filio T V O tanto P A T R E dignissimo ea-  
thedram, ita sum laetitia perfusus, vt nesciam, cui magis gratulari  
debeam;

debeam; vtrum **TIBI** tam felici **PARENTI**; an ipsi tam docto et omni litterarum virtutumque decore egregie ornato Philosophiae Candidato; an tandem mihi, quem **PATRIS** fauor summus, **FILI** que amicitia beat iucundissima? Verum enim vero quum post Deum, omnis boni auctorem summum, **TVAE**, **VIR EXCELLENTISSIME**, educationi prudenti curisque tuis paternis filii optimi mores compositi pariter ac diligens industria plurimum debeat, quum meum quoque gaudium **TIBI** acceptum referam, vt pote qui epistola, tuae in me beniuolentiae insigni teste, filium, thesauram, quo gaudes, pretiosissimum, meae curae tradere me honorifice dignatus es, atque ita mihi ad amicitiam Filii aditum patefecisti: haec, inquam, quum ita sint: ad **TE** has litteras exarare mearum partium fuit, quibus **TIBI** de Filii laude dignissima gratulor, ac publice gratias habeo maximas, **TVO** vero merito minime pares, pro illa, qua in me mihi commendando filium tam egregiae indolis vsus fuisti, beniuolentia. O diem illum praeclarum, qui perpetuae laetitiae mihi initium attulit, quo filius **TVVS** ad me accessit, et a quo me complexus est suo fauore! O diem, huncce praeclarum suauiter **TIBI** mihique sua luce blandientem, quo filius optimae frugis luculentum eruditionis sua specim edit, Dissertationem ab ipso ita exaratam, vt in ea non nisi paucissima curis meis sua diligentia posterioribus tribuere possim, contra doctrinum dissentientium dubia defendendo. Hunc certe diem, hos labores exantatos excipient praemia scientiae et virtutis splendida, quibus cernes filium exornatum, atque sic in dies magis intelliges, te beneficium sapientis educationis non in sterili segete obseuisse. Premet vestigia **QVISTORIORM**, quorum merita in illustrem Academiam Varniacam, puriorem fidei nostrae doctrinam, ac totum orbem litteratum fuerunt, et sunt tanta, vt nihil supra! Est modo, vt facio, summum Numen postulandum, vt diutissime seruet ipsvm, quo spes **TVAS** expletat et pascat pectus paternum; ac **TE** cum vniueritate domo illustri, quo suauissimo aspectu fortunae ipsius frui liceat! Quod si ita erit, vberimum tulisse me fructum votorum meorum putabo. Caeterum manum tuam veneratione animi, quum aliter fieri id haud queat, oscular, et vt mihi deuotissimo **TVO** Clienti nullo non tempore benigne fauere velis, a **TE** summpere peto.

Dab. Ienae, d. x. Apr. a. r. s. clo **I** **CCLIII.**














rorum nihil derogetur. Quorum autem nihil ad-  
ac sententia romanae ecclesiae, quam ipsi rident,  
uae latinae prospici, si qui in tanta litterarum lu-  
nostra gaudent, argumentis adeo infirmis, qui-  
iis scriptis diudicandis nullum pretium statuerent,  
ae scriptio MARCI patronos agunt, ipsum co-  
et pragensem a MARCO scribi potuisse arbitrati:  
m HAR DVINO negant graecum textum eiusdem  
ue illius actores se constituant, merito suo in ipsa  
ale animati esse videntur, certaeque librorum di-  
m auctoritati diem dicere. Huiusmodi quadru-  
us nihil diuini adeo sacrum est ut non sollicitetur,  
conuellatur vel per cuniculos et insidias petatur,  
litteras relati causa certe non cadent. Qui neque  
imo, neque patronis inter homines vnquam car-  
huic temeritati nefariae fortiter resistendum est a  
modestissimo pacisque studiosissimo. Quod sine  
quam fieri potest. Defensorem enim agis non  
I oracula a criminationibus, conuiciis et vellica.  
Aliis vero, qui in illam sententiam incident, non  
volunt, sed quod inusitata et paradoxa depe-  
ularia et eximia existimant, neque has dapes in-  
um enim quis disputare: neque stomachum con-  
haud imparem, atque epistolis caelo delapsis,  
locis seruari dicuntur episcoporum diplo-  
titiae, digerendis sufficitur, si cibus con-  
do nobis liceat fastidiosioribus esse atque ab insi-  
bhorre, illis in primis unde rei sacrae et diuinae  
et. Multo minus illos vituperabimus aut impro-  
nus homines ciuitatis litterariae classicos, qui vel  
ni causa errant, vel vbi etiam vere et serio errant  
multa docent, vel ut opinionis alicuius vim aut  
eruti pretium experiantur errores periclitantur.  
er nos errabunt, si dissensum aliorum aequo ani-  
que indigne ferant ut aliarum litterarum doctores  
arcendisque singuli disciplinarum suarum errori-  
bus